



DISSERTATIONE INAUGVRALI
differentias iuris

Romani & Germanici

IN

DO T E

ET

DONATIONE

PROPTER NVPTIAS,

Heurath-~~Sut~~ und Gegen-~~vermachtnis~~

PRAESIDE

DN. IO. PETRO ALVDEWIG, ICto,

S. R. MAIESTATI PRVSSICAE A CONSILIIIS INTIMIS ET REGIMINIS
IN DVCATV MAGDEBVRGICO, IVRIS AC HISTORIARVM PROFESS. ORDIN.
DOMINO IN GATTERSTAETT, RELIQUA,
INCLVTI IVRECONSULTORVM ORDINIS b. l. DECANO

PRO LAVREA DOCTORIS IN VTROQUE
IVRE CAPESSENDA

D. XXII. OCTOBR. AN. MDCCC XXI.

IN FRIDERICIANA
PVBLICE PROPONIT

IOANNES FRIDERICVS SEYFART,
HALENSIS MAGDEBVRGICVS.

HALAE VENDORVM,
LITTERIS IOAN. FRID. KROTTENDORFFII, ACAD. TYPOGR.

ILLVSTRISSIMO, GENEROSISSI-
MO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

CHRISTOPHORO
DE KATSCH,

HEREDITARIO DOMINO IN DAEBRITZ,
FERBITZ, CETERA,

POTENTISSIMI REGIS PORVSSIAE RERVM BEL-
LI AC PACIS SANCTIORI ADMINISTRO,

CRIMINALIS RERVM MILITARIVM ET CIVILI-
VM TRIBVNALIS SVPREMO RECTORI,

BELLICI, AVLICI ET CRIMINALIS IVDICII
PRAESIDI,

MILITIAE REGIAE IVDICI GENERALI,

DOMINO MEO AC PATRONO GRA-
TIOSISSIMO



S. P. D.

IOANNES FRIDERICVS SEYFART.

05 H 694

VIR ILLVSTRIS-SIME GENEROSIS-SIME ATQVE EXCELLENTISSIME,
DOMINE AC PATRONE GRATIOSISSIME,



Ingularem Serenissimi ac Potentissimi Regis nostri gratiam, quae amplissimis Te honoribus decorauit, non quodam fortunae beneficio; sed sola uirtute Tua Tibi conciliaſti; multis quoque & permagnis in rem publicam meritis, rerum bene geſtarum multitudine & praeclara bonitate Tua Nominis Tui famam adeo reddidiſti illuſtrem, ut incorrupta omnium uox ſit, de Te bene iudicantium & conſentiens laus bonorum. Ciuitas igitur noſtra, patrium Tibi ſolum, quod primam ibi adſpexeris lucem, maximum decus & ornamentum ſuum reputat. Sic Excellentiam Tuam ego quoque ciuis Halenſis ſubmiſſe ueneror, & cum illis, qui Te admirantur, colunt atque deuenerantur, me quoque addi, enixe uelim, hiſce ſtudi-

studiorum meorum primitiis, Perillustre
Nomen Tuum inscribere non dubitavi.
Veniam itaque dabis huic conatui, Vir Il-
lustrissime atque Excellentissime &,
quemadmodum pro ea, qua semper uteris
beneficentia ad homines iuuandos, tutan-
dos, conseruandos natus uideris: ita Tibi
me totum deuouens, ut fauori Tuo &
gratiae me commendatum habeas, omni
submissionis cultu Te uolo rogatum. Sum-
mum Numen, omnia regens & gubernans,
Te arduis quotidie negotiis pro Rege &
Republica uacantem, seruet incolumem
seroque recipiat in coelum, ut diu adhuc
hominum commodis superesse possis.
Quod in uotis habet,

ILLVSTRISSIMI NOMINI TVO

Halae d. 21. Oct.

1721.

denotissimus

IO. FRIDERICVS SEYFART.



Differentiae iuris
Romani & Germanici
IN
D O T E.

DIFFERENTIA I.

De uerbo & adpellatione dotis?



Romano iure dos denominata a Dotis etymon
dando, quoniam nulla o- 1) Latini-
*lim dotis promissae obli- num,
gatio (a). Post tamen di-
*uerlae formulae dotis o-**

bligatoriae: dotem dare, dicere, promittere (b).

Germanico iure dos adpellatur nominibus 2) Germanicum.
diuersis. Vtpote mittgab; heimsteuer;

braut-schatz; heyrath-gut; zugebrachtes oder
eingebrachtes Gut. Quae ultima uoca-

bula respiciunt bonorum inter coniuges
communione, Germanis solen-
nem, usitatamque (c).

(a) *Dotem a dando ita dici, ipsa uocis pronuncia-* Dos dicitur a dando.
tio suppeditat, pariter ac natura negotii, quod ple-
rumque dando, uel tradendo fuit peractum L. 14. D. de
Iur. dot. Iure enim DIGESTORVM dos proprie non dice-

A

batur,

batur, nisi esset *tradita*, nec poterat agi ex sola dotis *promissione*, nisi stipulatio accederet, quod deinde per *L. 6. C. de dot. prom.* fuit correctum. IOANN. CAMPEZIVS *de dote. quest. 2.* Superfluum igitur existimo eorum curam, qui, ad linguam graecam recurrentes, dotem a *δίδωμι* uel *δίδω*, *do*, *domo* deriuare uolunt. Nec quoque facio cum VARRONE, qui a graeco *δῶς* deducit in *lib. IV. de lingua Lat.* Nam *utriusque hic linguae*, Latinae & Graecae harmonia & concentus, uti in uocabulis innumeris aliis.

Etymon
graccum
reiiicitur.

Diuerſa o-
lim dotis
conſtitutio.

(b) Solennis conſtitutio dotis uocabatur olim *dotis* DICTIO, ut patet ex *L. ult. C. Theod. de dot.* *Qualiacunque ſufficere uerba cenſemus, etſi DICTIO uel STIPVLATIO in pollicitatione rerum dotalium minime fuerit ſubſecuta.* In *L. ult. C. Theod. de inceſt. nupt.* diuerſae dotis formulae, ſic recenſentur: *Dos, ſi qua forte ſolemniter aut DATA, aut DICTA, aut PROMIſſA fuerit.* Quam diſtinctionem obſeruat quoque VLPIANVS in *fragmentis tit. 6. §. 1. de dot.* Iure nouo uetus dotis *dictio* exoleuit per *L. 6. C. de dot. prom.* & ubi locutio occurrit *dotem dicere*, qualemcunque dotis conſtitutionem denotat, ut inter ueteres IC- tos iam notauit ANTONIVS GVIBERTVS COSTANVS *de dot. cap. 4. n. 7.* Sed actum agerem, differentias iuris Ro- mani inter *dotem dare, dicere, promittere* fuſius hoc loco oſtenſurus, cum abunde id iam praefſiterit DN. PRAESES in *differ. de Scto Vellei. exule differ. 8. & 9.*

Iure nouo
abrogata.

Multiplex
adpellatio
dotis in lin-
gua Ger-
manica.
Communio
honorum
inter coniu-
ges.

(c) Germanica lingua, licet alias iuridicis uocibus non adeo diues ſit; abundat tamen in exprimenda do- tis ſignificatione. Vocatur enim *Mugabe, Mugiffi, Heim- ſteuer, Eheſteuer, Brautſchatz, Heyraths-guth, des Weibes Einbringen, zugebracht Guth, Ausſtattung.* Cum enim moribus Germanorum inter coniuges ſit honorum com- munio, ſicque bona communia appellata fuere *verſam- mente*

mente Haab. HESSISCHE Gerichts-Ordnung de anno 1597. fol. Hassiaco
 18. his uerbis: Für VERSAMMENTE Haab soll verstanden sylo ver-
 und gehalten werden, alle die Haab und Güther, so beyde Ehe- sammete
 leute, die Leib an Leib und Guth an Guth geheyrathet haben, Haab.
 die Zeit ihres ehelichen Beyschlaffs zusammenbringen, und al-
 les das, so sie in ihrer beyder ehlicher Versahmung samplich
 überkommen und gewinnen. Hinc si pacta accedebant dotalia
 ratione bonorum, bona quoque pro diuersitate conuentio-
 nis diuersa fortiebantur nomina. Eiusmodi uero ma-
 trimonia, quae a communione bonorum recedunt,
 WEHNERVS in Obseruat. Praetic. Sub uoce AINS-HANDGÜTERE,
 uocat: verdingte Heyrathen, wenn Mann und Weib zusammen
 heyrathen mit Geding und Bestimmung der Heyraths-Güther,
 und Vorbehaltung ihrer Neben-güter. Igitur I. G. in com-
 munione bonorum non opus fuerat pactis, quia ipso iu-
 re inter coniuges bonorum communio: sed talis I. R.
 fieri non poterat, nisi pactis antenuptialibus. Quae de re a
 WESEL de connubialium bonorum communione.

DIFFERENTIA II.

De causa dotis constituendae.

R. I. causa dotis ad ferenda onera ma- Causa
dotis I.
Rom. &
Iur. Germ.
 trimonii (a). G. I. hoc ideo cessat,
 quia feminae Germanicae sociae sunt
 laborum (b). Igitur adfectio con-
 nubialis causa. (c). Vnde TACITVS,
 quod dotem etiam maritus adferat
 uxori (d). Nam etiam filiis solet dari
 eine Ausstattung (e).

(a) Multis ex legibus hoc adparet. PAVLVS enim Onera ma-
Icius

rimonii dotis causa. Ictus in L. 7. D. de iur. dot. DOTIS, inquit, fructum ad ma-
ritum pertinere debere, aequitas suggerit. Cum enim ipse O-
NERA MATRIMONII subeat, aequum est, eum etiam fructus
percipere. Et in L. 20. C. eod. clare exstat: PRO ONERI-
BUS MATRIMONII, mariti lucro fructus totius dotis esse, ma-
nifestissimi iuris est. Quare etiam ROLANDVS A VALLE de
lucro dotis quaest. 4. n. 12. scribit, quod maritus non de-
beat consequi dotis lucrum, nisi sustineat matrimonii o-

Dotis def- nitio. nera. Hinc & recte definiri potest, quod sit res, a parte
mulieris marito data, ad matrimonii onera melius sustinenda.

Romani enim nulla alia ex causa dotem dari patiebantur, quam ad onera matrimonii sustinenda. Hinc mulier, mortis suae causa dotem promittens, nihil agebat, cum post mortem, cessante matrimonio, illiusque oneribus, cessaret etiam dos. Id quod patet ex L. 76. D. de iur. dot. cuius uerba sunt: nisi matrimonii ONERIBVS ser-

Dos sine o- nere alendi non iuris; sed Pacti. uiat, DOS NULLA est. Licet enim dos quoque esse pos-
sint alendi sit, ubi per pactum adiectum, maritus non habet onus
alendi mulierem; sed uxor se ipsam alit per L. 4. in fin.

D. de pact. dot. & L. fin. D. de dol. except. attamen cum id, quod raro fit, thesin nostram non inuertat, firma manet opinio, dotem constitui propter matrimonii onera, quamuis aliquatenus dissentiant BALDVS de dote part. 2. n. 12. CONSTANTIVS ROGERIVS de dote eiusque definitione n. 14. 15. Possent quoque hic ex moribus Romanarum mulierum, quibus turpe erat, mercaturam exercere, immo inconcinnum, res proprias curare, genuinam ostendere causam, quare maritis dos expresse in eum finem fuerit constituta, ut onera inde ferrent matrimonii, nisi huic argumento plene iam satisfecisset DN. PRAESES in differt. de SCto Vellei. diff. 1. 2.

Vxor laborum socia. (b) TACITVS de moribus Germ. cap. 18. de priscorum Germanorum uxoribus ita loquitur: Ne se mulier extra virtut-

virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram, ausuramque. Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Hodiernis Germaniae institutis feminae negotiantur, quaestum faciunt, in tabernis, cauponis, culinis sedentes, ex acquisitis pariter, quam mariti onera matrimonii sustinent, operas quoque artificiales opificum instar praestant, quare *ICri Ienenses an. 1630.* responderunt: daß ein Meister sein Weib oder Tochter zu seinem Handwerck zu setzen, und vor einen Knappen arbeiten zu lassen wohl befugt sey. *BEGMANN Exerc. Exot. 3. n. 110.* Vnde stulta eorum opificum opinio; daß, im falle Weibern und Mägden vergönnet, im Handwerck zu helfen, solches wieder Handwercks-brauch und für eine Beschimpfung des Handwercks anzusehen und zu bestraffen. Quasi uero operae foeminarum traherent secum aliquid infamiae. Admodum celebris est controuersia der Knopfmacher wider einen Meister, der sich seine Frau und Töchter in Verfertigung der Knöpfe helfen lassen. Nam sartores & alii opifices nullum inde metuunt opprobrium & contemtum. Vnde facile est intelligere, causam dotis in iure Rom. suppeditatam ad Germaniae iura non penitus quadrare, uti iam ostendit *DN. PRAESES in diff. 1. de SCro Vellei. differ. 1. §. 6.* Nec obstat, quae *AVTOR SPECVLI SVEVICI art. 299. in fine* tradit: das ist davon gesetzet, daß die Frauen umb Gut nicht arbeiten nügen, als die Mann, und auch darumb, daß es den Frau wirs (i.e. übler) anstad, daß sy sollen nach dem Allmuseu gen, denn den Mannen. Licet enim haec comparate intelligi queant, quasi foeminae tantum nequeant lucrari operis, quam mariti: nos tamen aliis pluribus nugis etiam has accensemus, quibus scatet saepe furibundus speculator.

Amor con-
iugalis do-
tis causa.

(c) Veteres apud Germanos hanc dotis causam
iam obtinuisse, constat ex TACITO *de mor. Germ. cap. 18.*
In haec, scribit, munera uxor accipitur, utque inuicem ipsa
armorum aliquid uiro affert, hoc maximum uinculum, haec
arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrantur. Hodie uul-
gare prouerbium: *in Lieb und Leyd* nihil aliud uult, quam
quod coniuges sibi inuicem promittant indiuiduam ui-
tae consuetudinem, nimirum, quod *adfectione connubiali*
adducti, in prosperis & aduersis rebus, in diuitiis & pau-
pertate, in bona uel aduersa ualeitudine constituti, se
inuicem amare uelint, usque dum Deo ipsos separare
placeat. Fuerunt haec in ipsis formulis connubialibus
cauta. Exemplo FRIDERICI V. *Electoris Palatini in nuptiis*
cum Angliae regis filia Elisabetha Londini d. 14. Febr. an. 1613.
teste HENRICO SALMUTHO in *Resp. iurid. pro matrim. Princip.*
cum uirg. nob. fol. 65. Cum igitur amor coniugalis omnes
matrimonii Germanorum effectus producat, nullum du-
bium, quin etiam causa fit dotis constitutae.

Maritus do-
tat uxorem.
apud Ger-
manos.

(d) *Cap. XVIII. de mor. Germ.* Dotem, dicit, non uxor
marito, sed uxori maritus offert, intersunt parentes, propin-
qui, ac munera probant, non ad delicias muliebres quaesita,
nec quibus noua nupta comatur, sed boues, & frenatum equum,
& scutum cum framea, gladioque. Apud Anglos quo-
que maritos uxoribus dotem dedisse, ex uariis autori-
bus ostendit Ioan. COWELLVS in *instir. iuris Anglicani lib. I.*
tit. 10. §. 19. atque *lib. II. tit. 2. §. 18.* Conferri etiam possunt,
quae congeffit. HOFFMANN in *Lexic. Vniuers. sub uoce Dos.*

Nulla dos
apud Indos.

Athenienses
& Sparta-
nos.

Quaedam gentes nullas plane permiserunt dotes in con-
trahendis matrimoniis, id quod de Indorum populis te-
stat ARRIANVS in *Lib. Rer. Indic.* De Atheniensibus &
Spartanis idem affirmant AELIANVS *Lib. VI. uar. hist. cap. 6.*
& PLATO *Lib. VI. de LL.* Singularia plurium gentium hic iu-
ra contulit humanissimus PERIZONIVS *dissert. 11. de L. Voca-*
nia p. 112. sqq.

(e) Apud

(e) Apud Cermanos uox *Ausstattung* generalem habet significatum, ita ut non solum *filiae* dotem, sed etiam quicquid pater *filii* peculii loco dedit, denotare soleat. Dicimus enim: *er hat seine Kinder alle sehr wohl ausgestattet*. Hinc si pater filio militi zu seiner Equipage, uel filio nuptias celebranti zu seiner Einrichtung aliquid tribuit, illud sub uoce *Ausstattung* comprehendi posse, nullus dubito. Confer. DN. PRAES. in Opusc. miscell. tom. I. p. 903. Nam uti iure Romano non opus fuerat, filio sponso aliquid largiri parentem, in cuius conuictu & cultu ille permanerat, licet maritus, pater & auus: ita Germanico iure inhumanum, *filiabus* dote prospici, non *filii*, qui pariter per nuptias a patre separantur elocanturque ad peculiarem rem familiarem instituendam alegendamque. Nam moribus Germanorum uere eleganterque dici potest *elocari filium*, *er hat seinen Sohn ausgestattet*: cum Romani contra tantummodo *filiis*, dicerentur, *elocare*. Imo cum, patre mortuo, iterum pari iure ad hereditatem uocentur & *filiae* elocatae & *filii* mariti: nouum iniquitatis specimen, ultimum aestimare peiori loco, quam primam. Sed urges? Filiorum educatio in litteris aut opificiis, plurimum plerumque impensarum? *die Söhne haben auf Vniuersitaeten und Reisen viel gekostet*? Repono, tum institui posse horum sumtuum cum dote collationem & omnia reduci ad utriusque calculi harmoniam.

DIFFERENTIA III.

De dotis fauore, eiusque causa.

I. Rom. dos fuerat admodum *fauorabilis* ex parte mariti, ne onera matrimonii ferret frustra (a); ex parte uxoris, ne

Vox Ausstattung generalis ad filios extenditur.

Qui etiam filii mereantur dotem?

ne, post mortem aut diuortium, uiueret in egestate (b). Iur. G. *fauor* ideo cessat, quia uxores Germanorum sociæ laborum (c); deinde etiam, maritis demortuis, prospicitur uiduis hereditate; dotalitio; uitalitio (d).

*Dotis fauor
ob onera
matrimonii*

(a) Dotis *fauorem* Iure Romano esse introductum, ut maritus eo melius *matrimonii* posset ferre onera, uide- re licet ex legibus allegatis in *differ. 2. sub lit. a.* Cum enim I. R. onera matrimonii solius essent mariti, feminis Latii in otio uiuentibus; educatio præterea liberorum humeris eius incumberet *L. 2. & 4. D. ubi pupill. educar.* tandem maritus teneretur uxorem iniuriis laceffitam defendere *L. 1. §. 3. & L. 15. §. 24. D. de iniur.* proinde fuit æquum, ut maritus his incommodis grauatus, dotem acciperet, illaque frueretur. Quidam *ICti* addunt, marito propterea etiam deberi dotem, quod defectus & mores mulierum communiter essent intolerabiles, quos tamen maritus supportare teneretur, suo calamo, BALDVS NOVELLVS *de dote pag. 10.* Quam tamen sententiam meam non facio.

*Dos loco
legitimas
& alimen-
torum.*

(b) Notum est ex I. R. quod paternum fuerit officium, dotare filias *L. fin. C. de dot. prom.* & quod dos & donatio propter nuptias legitime comparentur *L. quoniam 29. C. de inoff. testam.* Cum igitur filiae dos esset loco legitime & præterea nihil ex hereditate caperet iure Romano antiquo, uti demonstratum dedit DN. PRAES. in *differ. de SCro Vellei. exule diff. 8. & 9. & in diff. 1. de SCro Vellei. diff. 5. n. 42.* CL PER ZONIVS ad *L. Voconiam diff. II. p. 113. indotata ex pers bonorum patris & in uiri potestate. necesse erat omnino, ut singularis dotis esset fauor intuitu etiam uxoris, ne uel uidua uel diuorti-*

*Vnde fauor
dotis ex
parte uxoris*

diuortium passa, paupertatis onus suscipere cogeretur. Pertinet huc *L. assiduis 12. C. qui pot. in pign.* Ratio enim huius legis est: oportebat disponi, maritos creditoribus suis ex sua substantia satisfacere, non de dote mulieris, quam ad suos victus, suasque alimonias mulier possidet; quippe quae ratio inprimis fauet sententiae nostrae, quod uxor ea propter gaudeat dotis priuilegio, quia apud Romanos uxor dote carens, non habebat, unde uiueret. Alias praeterea causas suppeditant leges, cur dotem Romani uoluerint fauorabilem: nimirum, ut mulieres facilius uiros inuenirent &, ut ciuitas liberis repleretur; cum uero omnia dotis notabilia exponere, instituti ratio non permittat, haec quoque, omittam, oportet. Legi tamen possunt de fauore & priuilegiis dotis ueteres iuris utriusque monarchae BALDVS, COSTANVS, CAMPESIVS, PHANVCCIUS DE PHANVCCIIS, ROLANDVS A VALLE, ceterique iunctim editi in tractatibus singularibus de dote.

*Variae
causae fa-
uoris.*

(c) Testantur hoc de ueterum Germanorum uxoribus uarii scriptores, TACITVS nempe, DIODORVS SICVLVS, STRABO, VARRO, a DN. PRAES. in dissert. I. de Scto Vellei. p. 8. allegati. Idem hodie adhuc obtinere, in Germania, extra dubitationis aleam est positum. Nostrae enim uxores ad operas praestandas ideo obligantur, quod iure diuino sint adiutrices mariti *Gen. II. uers. 18.* & finis matrimonii secundarius apud nos esse debeat mutuuum adiutorium. Fluit autem haec obligatio partim ex subiectione uxoris, marito debita, tanquam capiti familiae; partim ex promissa fide, quod in fortuna secunda aeque ac aduersa una uiuere uelint. Quam obligationem adeo ualidam esse, Icri arbitrantur, ut illa neque remitti possit uxori per pacta: quippe quae turpia essent & bonis moribus contraria. Neque etiam uxorem nobilem a necessitate, operas praestandi conditioni suae

*Vxor adiu-
trix mariti.*

*ad operas
obligata.*

*licet sit no-
bilis.*

B

con-

Dotis fauor
cessat.

conuenientes liberet, quod uxor nobilis aequè subdita sit marito ac ignobilis eiusque nobilitas effectum matrimonii tollere non possit. Ex instituto hanc materiam tractauit STRYKIVS *in Vsu mod. ad Pand. Lib. XXIII. tit. 11. §. 50. seqq.* Quemadmodum itaque quotidiana docet experientia, uxores nostras rei domesticae & oeconomicae curam non secus ac maritos agere, mercaturas quoque & opificia, uirorum instar, exercentes, ita fauor dotis Romanis ob onera matrimonii ferenda competens, apud Germanos locum habere nequit ex uulgari regula, quod cessante legis ratione, eius quoque dispositio cesset.

I. G. uxor
heres mari-
ti.

(d) Dotis causam apud Romanos exinde fuisse fauorabilem, dotesque semper uxoribus mansisse saluas, quod mortuo marito praeter dotem mulieres haberent nihil, ostendi *sub lit. b.* Quae ratio apud Germanos propterea euanescit, quia, alienata uel perdita dote, uxor saluam adhuc habet hereditatem mariti uel dotalium. Quamuis enim uxor regulariter iure communi marito non succedat ab intestato *Nou. 117. cap. 5. Auth. Praeterea C. unde uir & uxor.* iure tamen Germanico portionem accipit statutariam, quae est loco legitimae, nec testamento potest adimi *Constit. Elect. Saxon. VII. p. 3.* STRYK. *de Success. ab Intest. diff. IV. cap. 3.* Porro I. G. uxor consequitur dotalium *das Leibgedinge*, quod consistit in assignato reditu, uxori ad futuram sustentationem a marito concesso MYLERVS AB EHRENBACH *in Gamologia cap. X.* Tandem in Holsatia uidua nobilis singularia quaedam lucratur, mortuo marito, quae pertinent zu *ihrer Fraeulichen Gerechtigkeit und Hussenbande.* Vieni huius iuris percipit omnium mariti bonorum fructus per annum & diem, retinet totam supellectilem, dimidiam omnium mobilium, pecorum, paratae pecuniae, & praeterea quo-

accipit do-
talium

in Holsatia
das Hussen-
band.

que accipit dotem, *morgengabam*, dotalitium, & omnia quae ad maritum attulit. De quibus uide *Iur. Prouinc. Holsat. P. IV. tit. 5.* & eius academiae & tribunalium iureconsultos. Breuiter: si uxori est *dos*, repetit eandem marito demortuo, alicubi cum alicuius *lucris* accessione *der Verbetterung*, uti in Pomerania; alicubi cum *donatione* propter nuptias, quae, cum doti par, ideo dici solet *Gegen vermaechtnüss*; saepius, dotis loco, maualt *quadruplicatas* usuras, ad dies uitae, quas *dotalitium* aut dotis foecundissimam prolem dixeris: si uero uxor *dote* caret, tum uel *heres* est mariti & bonorum plurima accipit loco praecipui uel, si bona nulla hereditaria, etiam ex militum *beneficiis* alenda & instruenda est *uidualitio* mit einem, *ihrem stand gemaeßen Wittum*. Vt adeo *Germanicas* mulieres post mortem mariti omni parte ac iure dicere queas *beatas*. Et uti inter causas ditescendi ponere solemus etiam hanc, si maritus saepius mutet uxores, *er haette viel Weiber gehabt und waere dadurck zum reichen Mann geworden*: ita idem adfirmare licet de *foeminis*, quae iterum iterumque mutant uiros. In alia uero omnia hic iure iura Romana.

DIFFERENTIA IV.

Quis accipiat dotem?

R. I. dotem accepit SOCER, si filius sub patria potestate, ut adeo huius etiam causa desideraretur *dos*, quia nurus alenda a locero [a]: I. G. hoc cessat, quia LIBERI matrimonio emancipantur [b]. Vt adeo dotis defectus

B 2

causa

VIDVA morte uiri beata
I) si ei dos, hanc repetit cum a) donatione p.m.
b) dotalitio.
II) si dote destituta.
a) est heres.
b) praecipui iura fert.
c) accipit das Wittum

causa esse non debeat, negandi *consensus paterni*, uti R. I. quia patris porro non interest, intererat autem patris Romani [c].

Filiifamili-
as non acci-
piebant do-
rem, sed lo-
cer I. R.

(a) Patria potestas apud Romanos tam late patebat, ut etiam, qui ex filio & uxore eius nascebantur, comprehenderet §. 3. I. de P. P. sicque nuptiae patriam non soluebant potestatem. Filius igitur familias, in patria potestate manens, quando matrimonium contrahebat, dotem intuitu uxoris promissam non accepit, quippe quae *socero* soluebatur ad sustinenda matrimonii onera uti patet ex L. 56. §. 2. D. de Iur. dot. Post mortem patris statim onera matrimonii filium sequuntur, sicut liberi, sicut uxor. Clarius adhuc de hac re, quod *socero* filium sponsum in potestate habenti dos promitti debeat, loquitur L. 27. D. eod. Nuptura filiofamilias, si SOCERO DOTE M ita promiserit, quod filius tuus mihi debet, id doti tibi erit. Filii enim familias sine consensu eorum, in quorum erant potestate, nuptias contrahere non poterant L. 2. D. de rit. nupt. ex ea potissimum ratione: ne filius patri invito onus matrimonii afferret, praesertim cum marito de dote non fuerat prospectum. Hac igitur ratione in emancipatis cessante, ipsis uxores ducere absque consensu patris permittebatur L. 25. D. de rit. nupt. Quod si igitur *filiusfamilias* peculio instructus fuerat uel castrensi uel quasicastrensi, adeoque exinde patri tantum adsignauerat, quantum pertinet ad cultum & uictum uxori supeditandum: tam difficilis non fuerat pater, ad indulgendum nuptias filio, in eius genii gratiam.

Emancipatio
filiorum
quando fiat.

[b] Ex quo hodie filii maiorenes propriam & a patre separatam instituunt oeconomiam, ipso iure con-
suetu-

suetudinario sunt emancipati *Saechf. Land-R. Lib. 1. art. 11. uerb. wenn sie sich. Constit. Elect. p. 2. c. 10. CARPZOV. P. 2. constit. 10. def. 1.* De qua emancipatione apud Germanos recepta uideri potest textus in *Iur. Saxon. L. 2. art. 19. & lib. 1. art. 13. in Iure Alemannico prouinciali cap. 194. & 35.* Quem admodum uero plerumque filii matrimonium contrahentes separatam a patre habent oeconomiam & habitationem, ita moribus nostris de illis quoque affirmari potest, quod per nuptias emancipentur. In filiabus uero indistincte per nuptias fit emancipatio, unde etiam uocem *freyen, nubere* deducunt, quod filiae nubentes liberae fiant a patria potestate. De qua filiae emancipatione disponit IUS SAXONICVM *Lib. 1. art. 31.* uerbis: *wenn ein Mann ein Weib nimmt.* Ibi enim uxor in mariti curam transire dicitur, si uero uxor in mariti curam transit, in patria non amplius esse potest potestate, quippe quae in alterius cura aliquem uiuere non finit. §. 3. *I. de Tutel.* Alius textus est in SPECVLO SAXONICO *Lib. 1. art. 55.* *Vnd ob wohl ein Mann seinem Weibe nicht ebenbürdig, ist er doch ihr Vormund, und sie ist seine Genossin, und tritt sie in sein Recht, wenn sie in sein Bette tritt.* Quam in filiabus emancipationem per nuptias in uniuersa Germania obtinere testantur *CARPZOV. P. 2. Constit. 10. def. 2. BERLICH P. 2. Conclus. 11. c. 42.*

(c) R. I. pater omnino causas habuit graues, consensum quandoque denegandi liberis, matrimonii candidatis. Nam intuitu *filiarum* obligatus fuerat illico ad *dotem*, tantam quidem, unde uiuere posset filia, olim uidua: *filiorum* intuitu pater tributarius fiebat in omnibus matrimonii oneribus, alenda nuru, liberis & quae sunt eiusmodi. Sed G. I. patris est, iubere *filiam*, ut in accipiendis bonis expectet eius mortem: *filius* uero patri non grauis est neque *uxore* sua neque liberis. Quos

ipse alit. Vt adeo idoneae causae sint, quare pater *indulgentior* esse debeat in consensu dando liberis ad incunda connubia.

DIFFERENTIA V.

De necessitate dotandi filias.

R. I. dotare oportuerat patrem filias, etiam diuites (a); quia dos fuerat instar *portionis hereditariae*. Nam filia *heres* non fuerat *Lege Voconia* (b). G. I. res ex aduerso definienda. Quia filiae etiam *elocatae* atque sub *mitra* uocantur ad patris hereditatem (c). Vt adeo pater cogi nequeat ad dotis praestationem (d). Immo patres Germani illum habent probum & bonum generum; qui filiam requirit, licet *indotatam*, acquiescitque spe hereditatis, mortuo focero, capiendae [e].

Patris officium dotandi filias.

(a) Paternum apud Romanos erat officium, dotare filias, adeo ut patres cogerentur per consules, filias in matrimonium collocare & dotare *L. capite 19. D. de rit. nupt.* Quare etiam BALDVS ad *L. 1. D. solut. matrim.* affirmat, patrem pro *dote* constituenda posse *incarcerari* per praetorem, quia iste carcer esset iustus & necessarius. Quae patris obligatio extensa quoque fuit ad filias diuites, id quod adparet ex *L. fin. C. de dot. prom.* Iuxta quam legem

etiam diuites.

legem pater filiae bona aduentitia & satis diuitiarum habenti dotem promittens, illam de *propriis bonis* praestare tenebatur. Dos enim comparatur legitimae *L. quoniam C. de inoff. testam.* Legitima uero liberis indistincte relinquenda *Nov. 115. cap. 3.* Quamuis igitur filia satis habebat bonorum; pater tamen officio suo, quod ipsi dotationem iniungit, satisfaceret oportebat, cum hoc loco potior esset dotis causa, quam alimentorum, & pater filiam diuitem non *alimentare*, *dotare* tamen cogere-
Dos loco legitima.
Dos praefertur alimentis.
filia emancipata danda.

tur calamo iudicioque BALDI *de dote pag. 28.* & CONSTANTII ROGERII *de dote pag. 489.* Hinc etiam emancipatae filiae dotem constituere, fuit obligatus *a. L. 5. §. 12. L. 44. L. 51. D. de Iur. dor.* quia non ius potestatis, sed parentis nomen dotem profectitiam facit IACOBVS BVTRIGARIVS *de dote n. 4.* & plenius cultiusue V. CL. PERIZONIVS *ad L. Voconiam diff. 2. p. 114. 115.*

(b) Iure Romano ueteri praesertim *Lege Voconia* filia non poterat esse heres. Qua de re DN. PRAESES *in dissert. 1. de Scto Vellei. diff. V. n. 42.* Et hinc ratio petenda, quare apud Romanos filiabus indistincte dos fuerit constituenda, cum illa portionem legitimam sustineret. Concinit PERIZONIVS *diff. II. p. 113.* eleganti adparatu.

(c) Cum apud Germanos ratio Romanorum, dotandi etiam filias locupletes, plane cesset; nullum dubium patrem ad dotationem non obligari. Quemadmodum enim pater filio, qui se ipsum exhibere potest, alimenta praebere non cogitur; ita nec filiae diuini dotem, cuius finis apud Germanos est prouisio alimentorum mulieris, si uidua facta IVS SAXON. *Lib. 3. art. 74. & L. 2. art. 21.* Filia igitur diues non solum habet iam, unde alimenta petat, uerum etiam patri succedit ab intestato. *Novella 115. cap. 3.* dicit Iustinianus: *Sancimus igitur, non licere penitus patri uel matri, auo uel auiae, proauo uel*
Patrem non oportet dotare.
Filia heres.
prea-

proaviae suum filium uel filiam uel ceteros liberos praeterire, aut exheredes in suo facere testamento. Et hoc iure hodie utimur, quod liberi indistincte parentibus succedant, siue masculi sint, siue feminae, siue filiae sint *innuptae* siue *elocatae*, modo conferenda conferantur. Iure quidem feudali Porussico aliorumque regnorum discrimen obseruatur inter filias *elocatas* & *innuptas*, ita ut *innuptae* in feuda succedant promiscuae successione, exclusis filiabus *elocatis*, attamen cum *elocatis* nihilominus suam hereditatis portionem extrudere teneantur, differentia successione adeo magna non erit. Notare hic placet diuersam filiarum adpellationem in iure feudali occurrentem. Filiae enim uocantur in *capillis* uel *casae*, quae in *comis*, id est sine *capitis uelamini* & in *casa* seu domo patris *innuptae* manserunt; *elocatae* autem dicuntur filiae *sub mitra*, quod uxoribus instar caput *mitra* tegere solent, quare etiam de filiabus *elocandis* dicere, solemus: *das Maedgen unter die Haube bringen.* vid. DN. PRAESES in *opuscul. miscell. T. 1. p. 779.*

Dos non est iuris naturae. (d) Dotis datio non est *iuris naturae*, sed *iuris Romani* ZIEGLER *de dot. Eccles. c. 4. §. 10. & 11.* Matrimonia enim sine dote subsistere possunt, & si filia aliunde habeat bona, quae dotis uicem sustinere possunt, nulla ratio potest adigere patrem moribus Germaniae ad dotandam filiam. Omnes enim rationes, quare Romani filias noluerint indotatas, apud nos cessant, uti demonstratum est in *dissert. DN. PRAESIDIS de SCro Vellei. exule diff. 8. & 9. lit. u.* Interim plurimi Icti, hodie adhuc marito aduersus focerum competere implorationem iudicis ex *L. 19. D. de rit. nupt.* ad dotem ex officio praestandam, existimant, idque in Praxi obtinere nullum dubium, si scilicet filia sit pauper & pater diues; non tamen putauerim, patrem ad certam dotis quantitatem a iudice adigi

Implentio iudicis ex L. 19. D. de rit. nupt.

ad quantitatem dotis

adigi posse, cum sicut uiuentis nulla legitima, dos uero in locum legitimae quodammodo succedat, ita quantum dotis sociari arbitrio relinquendum, modo illud secundum generi dignitatem suarumque facultatum proportionem aliquatenus constituat. Quod tamen non intelligendum de illo casu, quo sponsus puella sola semel contentus fuit, tunc enim pater ad dotem cogi non potest.

pater non cogendus.

(e) Non enim ideo uxorem pauperem mauult, quam opulentam, qui dotem spernit. Nam sufficit sponso legibus corroborata spes, ut, mortuo focero, uel filia heres sit uel liberi eiusdem. Vti igitur filia indotata Romano iure habita INELOCABILIS, iudicio PLAVTI aulul. 2. uirginem habeo grandem, dote cassam atque ILLOCABILEM; imo instar CONCVBINAE, edicto COMICI eiusdem: me germanam meam sororem in concubinatum magis sibi sic sine dote dedisse, quam in matrimonium: sic ex aduerso diuitum patrum filiae, etiam sine dote, G. I. adpetuntur ac sollicitantur a iuuenibus, connubii candidatis, licet etiam magnopere auaris. Vbi tamen cautum esse oportet patrem. Nam facile falli potest Latii illa decipula: cogendum patrem ad dotem filiae constituendam. Sit ergo, quod sponsus illud perpetuo in ore habeat: nihil se uelle, quam puellam. Cuius moribus, probitate, forma, gente ac familia ita captus sit, ut his det omne punctum. Non tamen postea deerunt nouo genero remedia agendi aduersus focerum ad habendum dotem auxilio LL. Romanarum. Hoc igitur ne eueniat, illud omnino suggerendum focero: ut sibi prospiciat pactis dotalibus a genero subscriptis, hac formula: Vnd weil er sein reichliches Auskommen habe, so waere ihme genug, daß auff seine künfftige Ehe-
liebste und ihre Kinder die Verlassenschaft von Cui Güttern fallen würde. Dannenhero er sich eines zum voraus setzenden

Qui I. G. fili ac etiam indotatae locabiles?

C

hey-

heyra-th-guthes freywillig begeben und sich damit zufrieden stellet, daß das Gut seinen Kindern nicht entgehen könnte, sondern dereinst zu gute kommen müste. Quae pacta certe, licet R. I. paulo ambigua esse queant, rationibus I. G. omnino concinna sunt habenda & aestimanda.

DIFFERENTIA VI.

De causa donationis propter nuptias.

Donatio
propter
nuptias
necessaria
olim

hodie non
est opus.

R. I. prospiciendum fuerat feminae ratione dotis, ob diuortia, quia uxor exheres, inde securitatis causa opus erat donatione propter nuptias [a]: G. I. illa minus est opus in matrimoniis indissimilibus [b]. Immo minus etiam ideo; quia uxori ius praelationis, intuitu dotis illatae [c].

Diuortio-
rum facili-
tas.

Pro dote
nulla fide-
iussio.

Donatio
propter nu-
ptias in se-

(a) Apud Romanos diuortia ob leuissimam etiam causam permittebantur *L. 32. §. 10. D. de donat. inter uir. & ux.* Vbi haec uerba: *plerique enim cum bona gratia discedunt, plerique cum ira sui animi & offensa.* Plenius Henr. BROUWER *de iure connub. lib. II. c. 29. 30.* Quapropter foeminis ratione dotis prospici, erat necesse, ne post diuortium inopia laborarent. Cum enim dotium fideiussores non admitterentur *L. 1. & 2. C. ne fidei. dot. dent.* ex inutili ratione: *quod cum corpus suum uiro tradat mulier, possit & modicum dotis, quod nihil est, prae libero corpore fidei eius nudae concedere;* proinde uxores post diuortium uel mortem mariti in dote repetenda non erant satis securae. Ideoque donatio propter nuptias, in securitatem dotis, ipsis fuit concessa; ut si, soluto matrimonio,

monio, dotem suam aliter saluam habere non possent, *curitatem antipthernam* a quouis possessore uindicarent *Nou. 61. cap. 1. dotis. S. 1. auth. permessa C. de donat. ante nupt.* Huc accedit, quod uxores Romanorum maritis non succedebant, sicque ipsis ad egestatem effugiendam, ut dos salua maneret, per donationem propter nuptias erat prouidendum. In qua praeter ius in re ad securitatem dotis habebant nihil, cum ne quidem fructus inde lucrarentur *IOANN. CAMPESIVS de dote p. 1. quaeft. 61. CONSTANTIVS ROGERIVS de dote p. 526. n. 4.*

(b) Nostri moribus matrimonia priuato usu *Matrimonium dissoluuntur*, dicique possunt *indissolubilia*, cum rarissime tantum publica Consistorii autoritate ex iusta *causa* fiant uinculi matrimonialis dissolutiones. Non igitur est, quod timeant uxores nostrae dotis periculum ex facili diuortio proueniens apud Romanos. De inde *mutuam* quoque *coniugum successionem* in Germania *mutua coniugum successio* obtinere, fatis notum, illamque ex statutis locorum esse diiudicandam, docet *STRYKIVS de Success. ab intest. diff. c. 10. c. 11. & plenius a WESEL de connub.* Tandem uxores nostrae habent *uictalium das Wittumb*, seu *dotalitium das Leibgedinge*, quod, propter affinitatem permagnam cum donatione propter nuptias, eius speciem esse dicit *CARPZOV. lib. 6. resp. 5. n. 5.* Quamuis etiam inuicem maxime sint diuersa. In hoc *dotalitio* Germanorum uxores non tam habent dotis securitatem, quam futuram sustentationem in casum decedentis mariti, ut adeo *donatio propter nuptias* apud nos uix necessaria uideatur. Interim tamen negari nequit, illam adhuc in quibusdam Germaniae prouinciis esse in usu, licet in multis a iure Rom. discesserit *STRYK in Vsf. M. lib. XXIII. tit. 3. §. 13.*

(c) Ipse *Iustinianus* hoc ius pro firmo habuit repetendum *darum dotium praesidio.* Cuius uerba ex *l. assiduus 12. C. qui diem.*

C. qui potiores in pign. merentur hic partim adponi: *Affiduis aditionibus mulierum inquietati sumus, quae suas dotes perditas esse, lugebant. Nos potiora* (quam uxorias olim actiones) *iura contra omnes habere mariti creditores* (etiam hypothecarios antiquiores) *licet anterioris sint temporis privilegio uallati.* Neque hoc durum aut inhumanum. Nam creditor, ex quo tempore intelligit, debitorem uxorem duxisse opibus instructam; illico urgere potest solutionem crediti. Imo apud iudicem contestari, ne uxor aliquid ante nouo marito, *dotis loco* det, quam nomen uel liberet maritus uel *uxorum privilegium* illa renunciet. Quod cum ita sit, parum moribus nostris uerecundum uidetur, *sponsum* urgere ad securitatem, in dote praestandam. Cum R. I. debeatur uxori: sed G. I. esse debeat inter coniuges bonorum illa communio.

DIFFERENTIA VII.

De qualitate DOMINII DOTALIS eiusque effectu.

R. I. in dote maritus habuit dominium bonitarium [a]: G. I. in communi-
one bonorum plenum dominium [b]. R. I. ne uxore quidem consentiente fundum dotalem potuit alienare (c): Germ. iure licet marito hoc facere (d).

Varium ius in re dotali. ius ad rem ius personarum

(a) I. R. maritus in re dotali uarium ius consequatur. *Ius ad rem* habebat, si nomen in dotem datum, *ius personarum* si feruus ipsi obueniebat dotis loco *L. 58. D. solut. matrim.* Re uero in dotem tradita, *dominium rei dotalis*

dotalis accepit *L. 18. §. 1. D. solut. matrim. L. 13. §. 2. D. de fund. dot.* Vi huius domini, quod Icti uocant *ciuile*, ob qualitates, *ciuilibus* legibus proprias, maritus percipit fructus, alienat res mobiles, seruum dotalem manumittit, & qui sunt ceteri effectus domini dotalis. Cum uero mulier quoque *dotis domina* dicatur, illa, soluto matrimonio, ad ipsam reuertente: dici solet hoc dominium *naturale*, cum destitutum sit *effectu ciuili*, durante matrimonio, intereaque quiescat secundum iuris interpretes ANTON. GVIB. COSTAN. in *Comment. de dot. cap. 5. n. 1. seqq.* BALDVS NOVELLVS *de dote part. 8. n. 1. pag. 144.*

[b] Apud Germanos bonorum communionem obtinere inter coniuges, indubitati iuris est. *ivs SAXON. lib. 1. art. 31. Kein Weib mag auch ihres Guts ichrs vergeben ohne ihres Mannes willen, daß er zu Recht leiden dörffe: wenn er ein Weib nimmt, so nimmt er in sein gewer alles ihr Gut zu rechter Vormundschaft. LEG. ALEM. cap. XLVI. ein Weib mag ihres Guts nicht hingeben ohne des Mannes willen, noch ein Mann ohne seines Weibes willen.* De statuto Colonienfi idem adfirmat BVSIVS *ad L. 3. D. pro socio.* In Marchia Brandenburgica, ui communionis bonorum, coniux superstes dimidiam hereditatem consequitur *Constit. March. in rubr. Erbfaelle zwischen Eheleuten.* Iuxta Statutum Stetinense bona coniugum sunt communia *MYNSINGERVS dec. 6. resp. 52. n. 23.* Idem obtinet iure Lubecensi *MAEVIVS in Synopt. tract. de Arrest. cap. 9. n. 19.* De aliis Germaniae prouinciis legi potest STRYKIVS *in V. M. ad lib. Pand. 38. tit. XI. §. II. HEESER de bonorum communionem P. I. HENELIVS de iure dotalitii pag. 490. seqq. Abr. a WESEL de connubiali bonorum societate & alibi dn. praes. in opusc. MISCELL. qui loca aliorum non leui adparatu adauxit.* Natura igitur communionis bonorum non admittit differentiam inter dotalia bona & paraphernalia, maritus in omnibus bonis

dominium
plenum in do-
te

bonis uxoris habet & usumfructum & dominium plenum, alienare potest & oppignorare, modo uxor tanquam locia consentiat uel taceat, quod etiam ex silentio diuturno eius consensus praesumitur *MEVIUS ad Ius Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 9.*

Alienatio fir-
di dotalis pro-
hibita.

(c) *Lege Julia* non solum marito interdictum fuit, fundum dotalem Italicum alienare uel oppignorare, uerum etiam haec dispositio postea ad prouinciales fundos est extensa, adeo ut omnis alienatio, consentiente etiam uxore, prohiberetur *L. un. C. de rei ux. act. L. 1. C. de fund. dot.* Ratio legis erat, ne uxores fragilitate naturae suae in repentinam deducerentur inopiam. Quare etiam ne consensus quidem mulieris alienationem fundi dotalis ualidam reddere poterat, quia mariti blanditiis, minis, aspectu scabro, immo uerberibus uxorem ad consentiendum flectere & compellere poterant. Supra enim iam fuit ostensum, Romanos ideo de conseruatione dotis fuisse sollicitos, quod uxoribus praeter dotem spes nulla hereditatis neque paternae neque mariti. Equidem *ICTI* ex uariis legibus comprobant, fundum dotalem certis ex causis alienationi esse obnoxium, praefertim si iuxta *L. 1. D. de fund. dot.* marito damni infecti non caute, uicinus missus sit in possessionem, sicque alienatio necessaria uideretur esse excepta; ast cum uxores ob maritorum culpam non possint inquietari, res etiam cum uitio non ualidae alienationis transeat ad quemcunque, uxori semper liberum manet, uindicare fundum dotalem *PARDVLPHVS PRATEIVS ad Leg. Iul. de fund. dot.*

causa probi-
tionis.

alienatio li-
cita.

Hodie licet a-
lienare fun-
dum dotalem.

Iny. Saxon.

(d) *Nostri* moribus alienatio rerum dotalium concessa quidem est marito, pro diuersitate tamen prouinciarum magistratus autoritas accedere debet. In Saxonia igitur ad alienationem rerum dotalium immobili-
um

um requiritur consensus mulieris cum curatore & decretum magistratus RICHTER *de Success. sect. 4. membr. 2. n. 10.* In Porussia consensus uxoris eiusque cognatorum est necessarius IUS BORVSS. *provinc. Lib. 4. tit. 15. art. 5. §. 1.* Aliis in locis, ubi a bonorum communione recepto iure Rom. paulatim recessum est, alienatio semper ualet, si uxor iurato consenserit SERAPHINVS DE SERAPHINIS *de priuileg. iuram. priuileg. 76.* Ius enim Canonicum omnia iuramenta, quae salua salute aeterna possunt seruari, uult esse obligatoria. Vbi uero bonorum communio inter coniuges contracta, neutri absque alterius consensu bonorum partem alienare licet, cum communionis natura alienationem rei communis inuito socio non permittat STRYK *in Usu Mod. ad Pand. Lib. XXIII. tit. V.* Maiorem tamen libertatem in alienandis rebus durante matrimonio acquisitis concedendam esse marito, Icti putant. Adeo, ut absque uxoris consensu illas recte alienet, cum caput familiae in domesticis rebus libere disponere possit FONTANELLA *de pact. ante nupr. claus. 11. gl. un. n. 14. 15.* Ex quibus adparet in Germania rerum dotalium alienationem liberam plane esse, cum uxoris consensus facili negotio sit impetrandus.

Porussia.

alienatio ac-
quisitus con-
iugali.

DIFFERENTIA VIII.

De dote ex feudo petenda.

Communi iure DOS non repetitur ex feudo (a): G. I. repetitur & praesumptio est, de in rem uerso. Ut adeo libera tum uidua ab onere probandi (b).

(a) *Iure feudali communi omnis donatio prohibita, nullaque dos ex feudo debetur 2. feud. 9. §. 1. adeo, ut uafallus*

Nulla dos a
feudo peten-
da.

ia ius ne quidem alimenta uxori constituere possit in re feudali ALEX. *conf.* 18. *uol.* 5. ROSENTHAL *de feudo cap.* XI. *conclus.* 9. Obligatio enim antecessoris successoribus non poterat nocere, &, resoluto iure dantis, ius etiam accipientis resoluebatur. Accedit, quod succedendi causa nulla sit ab ultimo possessore. Sed haec uel domini indulgentiae danda uel prouidentiae maiorum. Ut adeo tantum absit, ex feudo obuenire posse aliquid uiduae: quantum abest, uiduam ideo in ius uocare posse extraneum quemuis mariti in munere opimo successorem.

Bos, qui ex feudo repetenda,

(b) Vti G. I. plurima feudi onera alia, quae commune ius Longobardicum ignorat: ita etiam hoc, ut ex feudo repeti queat *dos*, imo integrum sit uiduae, uti *retentionis* beneficio, usque dum *dos* sit reddita. Sed illud requiri potest. Quae demum *causa* sit huius differentiae? Meo iudicio illa repetenda est ex indole praediorum apud Germanos, quae plurimum fuerat *allodialis*. Sed, allodiis his in feuda conuersis, permansere pristini moris nihilominus reliquiae. Turba uero doctorum, quo haberet utriusque iuris harmoniam, *praesumptionem* finxit, *dotem in rem uersam fuisse feudalem*. Inde secuta est uidua in dote repetenda: usque dum feudi successor clare docuerit, nihil *dotis* habuisse uxorem uel *dotem illatam* a defuncto perditam fuisse luxu aut casu alio. Illud igitur tantummodo uiduae incumbit ad probandum: *dotem defuncto marito esse numeratam* MENOCHIVS *lib.* 3. *praef.* 7. *Ant.* FABER *in Cod. lib.* V. *tit.* 2. *def.* 8. *n.* 2. non uero, quod frustra perhibent alii, *dotem uersam esse in rem*, qua in causa uidua secuta ex legis praesumptione CARPZOV. *lib.* VI. *tit.* 6. *resp.* 57. HENELIVS *de dotalitie cap.* 7. *p.* 104.

DIFFE-

DIFFERENTIA IX.

De hereditate dotis.

Romano iure dotem non hereditauerat Maritus heres dotis I. Germ. secus I. R.
 maritus (a): sed G. I. maritus heres dotis (b), excludens adeo liberos in legitima (c).

(a) Iure Romano ueteri coniuges sibi inuicem non succedebant, a cognatis semper exclusi. Tandem praetor, deficientibus cognatis, superstiti coniugi bonorum concessit possessionem *tot. tit. D. unde uir & ux.* Cum uero raro deficerent cognati, sicque inutilis fere esset haec dispositio, certo demum casu simul cum liberis & agnatis coniux erat heres. Nimirum ubi coniux praemoriens fuerat diues, uiuus autem pauper *Auth. praeterea C. unde uir & ux.* Dos igitur iure hereditario non obuenibat marito, sed reuertebatur ad uxorem eiusque heredes *L. 10. D. solut. matrim. L. 6. pr. D. de iur. dot. L. un. §. 6. & 13. C. de R. V. A.* adeo ut pater uxoris dotem repeteret, licet ex matrimonio filiae mortuae adessent liberi *L. 4. & 6. D. de iur. dot.* Coniugum nulla successio. post subsidaria deficientibus cognatis.

dos redibat ad uxorem.

(b) In Germania ubique successionem statutariam obtinere, maritumque dotem nonnunquam uel totam uel pro parte lucrari; hic, ut recenseam, non est opus, cum & supra hac de re iam quaedam monuerim & hoc argumentum plenius sit prosecutus STRYKIVS de Success. ab intest. diff. IV. c. 3. Successio coniugum statutaria.

(c) In quibusdam locis esse statuta, ui quorum maritus totam lucratur dotem, ne legitima quidem liberis salua, testatur STRYK de Success. ab int. diff. 1. §. 13. Plurimi Ictorum eiusmodi statutum, legitimam auferens, ualere non posse, existimant; quod legitima debitum esset natura-

Statuta legitimam liberorum auferentia in dote maritis,

D

tura-

inuisita de-
clarata. *turale*, sicque statuto non posset tolli. Quare etiam tale statutum inuisitatum declaratum, legimus per expressam Electoris Saxoniae constitutionem CARPZOV L. 6. Resp. 54. Verum enim vero cum legitima non sit iuris naturae, HUGO GROTIUS de I. B. & P. L. II. cap. 7. §. 4. PUFFENDORFF de I. N. & G. L. 4. c. II. §. 7. sed iuris civilis, eam per statutum plane tolli posse, si liberi aliunde habent, unde uiuant, manifestissimi iuris est. Contradidunt itaque sibi iuris interpretes, legitimam minui; sed non tolli posse, adfirmantes. Cum enim ius naturae sit immutabile, legitima quoque per deminutionem mutari non posset. Ex eadem ratione filius etiam ingratus non posset exheredari, quoad legitimam neque militi liceret testamentum facere ualidum, liberis licet nullam relinqueret legitimam, quod tamen iure civili permixtum L. 9. & 24. C. de inoff. testam. permittit autem non liceret, si legitima foret iuris naturae, quod lex humana non tollit PEREZ ad tit. C. de inoff. testam. Interim tamen rationem naturalem legitimae inesse, in dubium uocari nequit. Iuris enim naturae est, alere liberos &, cum ob alimenta iure civili legitima sit introducta, per legem contrariam eatenus tantum tolli potest, quatenus ad alimenta non sunt necessaria. Valent itaque semper statuta, legitimam tollentia, cum hac limitatione; si liberis necessaria non desint alimenta. Sed, postquam haec scripsissem, illud intellexi, dn. praesid. in opusc. Trebelliana exul ex fideicommissis familiae plenius hoc docuisse ex iuris Germanici cum exemplis, tum rationibus: frustra in tribunalibus Germaniae plerumque querelam institui aduersus laesionem in legitima mensurae Romanae. Exulat in nobilibus familiis Holfatiae, Sueviae & Franconiae: ubi filias oportet acquiescere modica dote, filiis omnes opes assignatis, institutis ac moribus Germanorum. Ut hoc casu

legitima non
iuris naturae.

sed civilis.

Refusatur o-
pinio contra-
ria.

Limitatur.

casu opus non sit filiarum aliqua *renuntiatione* aut iure-
iurando. Est etiam *legitima* communioni bonorum
prorsus inconcinna. Quam tamen hodieque in Germa-
nia passim regnare, dictum est superius.

DIFFERENTIA X.

De MATRE, filias dotante.

I. R. mater non dotavit filias [a]: I. G.
putant, eam teneri, ob matricam pote-
statem (b).

(a) L. 14. C. de iur. dot. Neque mater pro filia dotem da-
re cogitur, nisi ex magna & probabili causa, uel lege speciali-
ter expressa: neque pater de bonis uxoris suae inuitae ullam
dandi habet facultatem. Apud Romanos enim dotis da-
tio paterni erat officii, restricta ad liberos, quos in po-
testate habebant L. 19. D. de rit. nupt. unde colligendum,
patriam potestatem ad dotem obligasse, qua in matre
cessante, dotis quoque constitutio cessabat. Interim ta-
men matrem quoque nonnunquam dotasse filiam, pro-
bat L. 31. C. de iur. dot. ubi haec uerba: cum quidam dotes
pro mulieribus dabant, siue matres, siue alii cognati, siue ex-
tranei. Immo mater haeretica cogebatur dotare filiam
orthodoxam per L. 19. C. de haeret. Cum uero hoc fie-
ret in odium haereseos; inde affirmari nequit, matrem
indistincte ad filiam dotandam, legis necessitate, teneri
IOAN. CAMPES. de dot. part. 1. quaest. 22.

Mater filiam
non debet do-
tare

potest. cessante
si uelit.

haeretica ma-
ter cogitur do-
tare filiam.

(b) Iur. Germ. matrem quoque potestatem habere in
liberos, exinde patet, quod effectibus patriae potesta-
tis non sit destituta. Non enim solum matris quoque
consensus requiritur ad liberorum nuptias, sed praeter-
ea etiam mater gaudet usufructu in bonis liberorum WE-
SENBECK. ad Dig. de tutel. n. 5. BERLICH. 2. conclus. 12. 14. DE-
VORNUM

Matria pote-
stat.

mater habet
usufructum
in bonis libe-
rorum

Iure Sax.
Geldrico

Hennebergico

mater eman-
cipat liberos.

matris non red-
dit rationem.

dotat filias,

ob matris
potestatem,
ob communio-
nem bonorum.

CIS. NOVEL. ELECT. SAXON. XLII. Iure Geldrico mater educa-
trix habet usumfructum VERSTEG. de usufr. obs. 12. Idem
obtinet iure Hennebergico L. O. lib. 3. tit. 4. cap. 12. & 15.
Iure Saxonico matri quoque emancipatio liberorum,
tanquam effectus potestatis in liberos, competit. LAND-
R. lib. 1. art. 13. *Sundert der Vater oder die Mutter einen ihrer
Söhne oder Töchter von ihnen, mit ihren Gut, sie sondern sich
mit der Kost, oder entun.* Nec, secundum ius Suevicum,
parentes tutores rationem reddere tenentur IVS SYEV. p.
1. cap. XX. Quemadmodum igitur dotis datio effectus
patriae erat potestatis apud Romanos, mater uero in
Germania eadem gaudet potestate, vid. LYNCKER de ma-
trina potestate; ita Icti ad officium dotandi matrem quo-
que adigere, non dubitant. Huc accedit, quod, cum
bonorum communio obtineat inter coniuges Germa-
niae, mater eodem iure, quo pater filiam dotare sit o-
bligata, cum patrimonium commune onera quoque faci-
at communia GROENEWEGEN ad L. 14. C. de iur. dot. Hinc
iure Württembergico matri iniungitur dotandi onus LAV-
TERBACH ad tit. Pand. de iur. dot. §. 16. Hamburgi quoque
idem in usu esse, colligi potest ex *Edicto de an. 1676.* ex his
uerbis: *und folgend Vater oder MUTTER auch Vormünder
und Verwandte einem solchen unartigen Kinde und Pfleg-toch-
ter keinen Brautschatz zu geben schuldig seyn.* Plura uide in
DN. PRAESID. opusc. miscell. tom. 2. p. 1395.

DIFFERENTIA XL

De tempore lucrandi promissa ex matrimonio.

I. R. sponus post deductionem in
domum lucrabatur promissa ex matri-
monio (a): I. G. non nisi post conscen-
sio-

sionem thalami (b), wenn sie in sein Bett
gath. Inde causa der Trauung per procu-
ratorum (c).

(a) Cum apud Romanos nuptias non concubitus, sed consensus perficeret, statim ex quo uxor in domum erat deducta, matrimonium effectus civiles consequabatur. Huc facit *L. 15. D. de cond. & demonstr. Cum fuerit sub hac conditione legatum, si in familia nupsisset, uidetur impleta conditio, statim atque DVCTA est uxor, quamuis non dum in cubiculum mariti uenerit. Nuptias enim non concubitus, sed consensus facit. L. 6. & 7. D. de rit. nupt. ita disponunt: Denique Cuius scribit: Eum, qui absentem accepit uxorem, deinde rediens a coena iuxta Tiberim perisset, ab uxore legendum responsum est. Ideoque potest fieri, ut in hoc casu, aliqua uirgo & DOTE & de DOTE habeat ACTIONEM. L. 6. C. de don. ante nupt. idem declarat, ut itaque dubitari non possit, consensum solenniter declaratum & deductionem in domum effectus matrimonii civiles habuisse, sponsa uel sponsa promissa lucrante, si ante concubitum matrimonium solueretur per mortem. Putat quidem DVARENVS solum consensum sufficere, deductionem uero non esse necessariam ad effectus iuris civilis producendos. Sed contra leges loquitur. Nam *L. 5. D. de rit. nupt.* Pomponius dicit: *DEDUCTIONE* opus esse in mariti, non in uxoris domum, quasi in domicilium matrimonii. Id quod etiam probat *L. 6. C. de donat. ante nupt. & l. 24. C. de nupt.* Moribus deinde Christianorum benedictio sacerdotalis matrimonii accedere debebat &, quamuis illa primis Ecclesiae temporibus de essentia matrimonii non fuerit, cum saepius ommitteretur, postea tamen legibus fuit firmata, adeo, ut matrimonium, sine illa contractum, habeatur pro illegitimo.*

Deductio in domum perficit matrimonium.

Consensio
thalami ad
consumman-
dum matri-
monium ne-
cessaria,
Iure Saxon.

Würtenber-
gio,

Frankfurt-
li.

Lubecensi.

Porussico.

Gallico.

Copula car-
nalis non re-
quiritur.

(b) Non in Saxonia tantum, uerum etiam in uni-
uersa fere Germania aliisque regnis, coniugium ante
consensionem thalami quoad iuris effectus non cen-
setur esse consummatum, *es sey denn, daß sie das Ehebett be-
schritten.* Hinc IUS SAXON. Lib. III. tit. 45. *das Weib ist auch
ihres Mannes Genossen, zu hand, als sie in sein Bette tritt.* Se-
cundum WÜRTEMBERG. LAND-RECHT P. 4. tit. 2. §. 1. *matrimo-
nium est perfectum, wenn die Decken beschlagen wor-
den, i. e. si coniuges in lectum ducti fuerint* REFORM.
FRANCOF. part. 2. tit. 3. §. 5. *idem disponit, ubi ita: Wir se-
tzen und ordnen, daß alle Paß und Geding, so in dem Hey-
raths-Brieffen abgeredt worden, anders nicht verstanden, ih-
re wircklichkeit erreichen, noch auch für künftig gehalten sol-
len werden, es seyn denn beyde Ehegemahl Christlicher Ordnung
nach öffentlich zur Kirch gangen, EHELICHEN BEYGELE-
GEN, darauff einander Beywohnung gethan, und also rechte
Eheleute worden.* De iure Lubecensi similem consuetu-
dinem adfirmat MEVIUS ad Ius Lubec. p. 2. tit. 2. art. 12. n. 271.
IUS PORUSSICVM de anno 1620, Lib. V. art. 5. §. 7. *thalami quo-
que consensionem ad consummatum requirit matri-
monium.* De quibusdam Galliae prouinciis, sententi-
am nostram sequentibus, testantur GERARD. MAYNARD.
decif. Tholos. Lib. IV. decif. 54. ARGENTRAEVS in *Consuet. Bri-
tann. art. 429. gloss. 3.* Interim in illis locis, ubi ius ciuile
obtinet, & de thalami ingressu nihil dispositum, statim,
peracta copula sacerdotali, coniuges lucrari uel ex pa-
cto uel ex statuto debita, affirmandum est cum BRUN-
NEMANNŌ ad L. 22. C. de rit. nupt. De eo tamen adhuc lis
est inter Ictos an sola consensio thalami sufficiat uel
praeterea etiam copula carnalis facta requiratur. In
Saxonia & plerisque Germaniae regionibus certum est,
solum lecti ingressum sufficere, quare etiam, post copu-
lam sacerdotalem, statim sponsum & sponfam ad lectum
dedu-

deducere solent, ut ibi paulisper, cognatis praesentibus, sedeant, ad conuiuium deinde reduces, quod in inferiori Germania appellant: *die Brutt ind Bedde setzen*. In Würtembergicis terris dicitur *die Decke beschlagen*; Erfurti uero: *der Bettstrung*. Vid. HENELIVS *de dotalitio cap. IV. §. 5*. Quibusdam tamen locis coniunctionem corporum, praeter lecti ingressum, requiri docet SANDE *Decis. Fris. lib. 2. tit. 5. def. 1.*

(c) Antiquissima est consuetudo, praesertim inter principes, ut matrimonia contrahant per legatos uel procuratores. Morem hunc deducunt ab Isaaci exemplo qui Rebeccam per Eleazarum seruum suum in matrimonium ducebat GENES. XXIV. Cuiusmodi matrimonia obtinebant etiam apud Romanos L. 5. D. de rit. nupt. ubi haec uerba: *mulierem absenti per literas eius, uel per NVNTIVM posse nubere, placet*. Ius Canonicum quoque idem permittit c. *fn. de procurat. in 6*. Inter principes uero ideo haec matrimonia recepta esse putant, ut per legatos consensione thalami facta, statim inde iuris effectus sequerentur. Equidem ARGENTRAEVS in *Consuet. Britann. art. 429. glos. 2. n. 2.* matrimoniis per procuratorem iuris effectus non tribuit, ex hac ratione, quod inter praesentes desponsatos per thalami consensionem uerus concubitus &abilitas generandi praesumatur, cum statim coire possent, si uellent; in imaginario uero thori ingressu per procuratorem hanc praesumptionem cessare. Ast cum illa praesumptio uana sit & legis assentientia non nitatur, praeterea quoque sufficiat, principes huic actui *effectum iuris* tribuere uelle; tandem iura praesertim principum abhorreant ab actibus frustraneis, ARGENTRAEI sententiam probare, non lubet. Qui forte illa actus est in fauorem Gallorum, qui matrimonium tale Maximiliani I. imperatoris cum Anna, Britanniae minoris duce tantum non risu exprobrarunt neque

*Tramung per
procuratorem.*

sius orige.

*Exemplo Isaaci.
Iure Romano.*

Canonico.

*Argentraei
opinio.*

refutatur.

que dubitauere, eius adulterium principi suo commendare. Ceterum etiam illud ita caueri solet, ne poeniteat una pars; si forma, si uirtus, si alia plura infra expectationem minuatque praesentia famam, litteras, imagines & picturas. Illud uero olim disputatum inter consponfos euangelicos: utrum opus esset eius matrimonii, per procuratorem initi, noua benedictione sacerdotali? Pontificii hoc adfirmant, quia sacramenti usus fieri nequeat per procuratorem, *es könne niemand seinen advocaten, mandatario nomine zur Beichte und Abendmahl schicken.* Sed nostra catechesis expunxit matrimonii sacramentum.

DIFFERENTIA XII.

*De IVRE PRAELATIONIS UXORI RATIONE DOTIS
competente.*

Uxor praefertur creditoribus anterioribus.

I. R. uxor, cum aliis mariti creditoribus concurrentibus, praefertur etiam anterioribus, tacitam uel expressam hypothecam habentibus (a): **I. G.** praelatione aduersus creditores, tempore priores & hypothecarios raro utitur uxor (b). Cuius temporis initium requirere solent a sacerdotali benedictione (c).

Uxor habet tacitam hypothecam in bonis mariti, qui pot. in pign. uxorem praefert etiam creditoribus temporis prioribus: potiora iura contra omnes habere mariti creditores, licet anterioris sint temporis priuilegio uallati. Dd. quidem

(a) *L. un. §. i. C. de rei ux. act.* hypothecam tacitam tribuit uxori ratione dotis in bonis mariti *L. assiduis 12. C.* qui pot. in pign. uxorem praefert etiam creditoribus tempore prioribus: *potiora iura contra omnes habere mariti creditores, licet anterioris sint temporis priuilegio uallati. Dd. quidem*

quidem putant, hoc privilegium dari tantum contra creditores, qui tacitam, non uero expressam hypothecam habent. At lex generaliter loquens generaliter est explicanda, praesertim cum ex aliis textibus adpareat, imperatorem indistincte contra anteriores creditores praerogatiuam uxori concessisse. *L. 30. C. de iur. dot. Mulierem, inquit, in his (dotalibus rebus) uindicandis, omnem habere post dissolutum matrimonium praerogatiuam iubemus; & neminem creditorum mariti, qui ANTERIORES sunt, posse sibi potiore causam in his per hypothecam uindicare NOVELLA 97. cap. 2.* Imperator Iustinianus, *Priuegium enim, ait, dedimus dotibus ut contra ANTIQVIORRES hypothecas habeant honorabilia iura.* Idem legimus in *Nou. 109. cap. 1. Quia enim dedimus priuegium mulieribus dotium, ut etiam prioribus creditoribus praeponantur, & meliorem ordinem eas habere, & nec a tempore superatas.* Nullum igitur superesse potest dubium, uxores indistincte omnes creditores priores I. R. antecedere, quicquid etiam legibus contrarium statuunt interpretes.

(b) Cum durum uideretur & iniquum, mulierem iuxta Ius Rom. creditoribus praeponere hypothecariis antiquioribus, qui ad euentum futurae dotis, debitori ab uxore inferendae, non cogitantes, per expressam hypothecam ius quaesitum obtinuerant, quod secundum aequitatem naturalem per factum mariti posterius, uxorem ducentis, tolli non poterat; ideo in Germania per *Leges prouinciales* hoc priuegium fuit temperatum, ita, ut uxor creditoribus, quidem anterioribus tacita hypotheca instructis, non uero expressum habentibus pignus praeponatur. *NOVEL. GONSTIT. ELECT. SAXON. 28. part. 1.* ita disponit: *Nach diesem soll des Schuldners Eheweib mit ihren eingebrachten Guth, so viel sie des erweisen kan, allen andern Gläubigern, so nicht AELTERE AVSDRVCKLICHE*

Iniquitas priuelegii uxoris.

Uxor non praefertur creditoribus prioribus expressae hypothecae. Iure Saxonico.

E

VER-

VERPFAENDUNG haben, vorgezogen werden. Id quod etiam confirmat ORDIN. PROC. IVD. ELECT. SAXON. tit. 43. IVRE RENOVATO WÜRTENBERGICO part. 1. tit. 75. fol. 210. Idem fancitum est: *Es sollen auch die Frauen allen ihren Schuldgläubigern, so allein stillschweigende, aber nicht ausdrückliche aeltere Pfand haben, vorgehen.* In Bohemia quoque, Ducatu Brunsvicensi aliisque provinciis sententiam nostram iudicando sequuntur, sicut testatur HIERON. TREVTLERVS Vol. 2. cons. 107. n. 5. ICTOS Francofurtenses & Scabinos Brandenburgicos hanc etiam opinionem hodie sententiis suis comprobare adfirmat SCHEPLITZ ad Consuet. March. P. III. tit. 2. §. 24. qu. 1. n. 3. Camera quidem imperii olim secundum ius civile semper pronunciafle, scribit MYNSINGERVS resp. 38. n. 3. & 4. cent. 1. & WESSENEC. in addit. ad Schneid. n. 59. hodie uero illam ab hac opinione recedentem semper pro creditoribus anterioribus expressa hypotheca munitis contra uxorem iudicare, tuentur GAIL. 2. obs. 25. n. 10. WVRMSER tit. 47. obs. 3. n. 3. Idem hodie Scabinos Vratislauenfes facere, docet HENELIVS de iure dotalitii cap. 7. §. 13. sub lit. y.

Demum a tempore sacrosalsis copulata

(c) Quod uero uxoribus demum a tempore facerdotalis copulae competat ius praelationis in dote declarat *Ius Magdeburgicum*, ex quo olim omne ius Saxonicum solebant interpretari. ORDINATIO enim IVD. MAGD. cap. 50. haec habet uerba: *des Schuldners Eheweib wird wegen ihres beweisslichen eingebrachten Guths ohne Vnterscheid des Ehegeldes oder Paraphernalien, sie sind vorhanden oder nicht &c. VON ZEIT EHELICHER COPVLATION den Ehegeldern; in paraphernalien aber von Zeit der illation, allen und jeden ihres Mannes Glaebigern, so nicht aeltere ausdrückliche Verpfaendung haben, billig vorgezogen.* Similiter dispositum legimus in Nouel. Elect. Saxon. part. 2. constit. 24. uerbis: *von Zeit der vollzogener Ehe, und also wenn der Kirchgang geschehen &c.* Iuxta hanc quoque sententiam, priuile-

uilegium scilicet & hypothecam dotis a tempore sacer-
dotalis copulae incipere, in Scabinatu Lipsiensi pronun-
ciari fatetur CARZOV part. III. confit. 19. def. 10.

DIFFERENTIA XIII.

De REPETITIONE dotis MORTVO marito.

I. R. uxor marito mortuo repetebat
dotem uel actione personali pro repe- Pro dote a-
ctio perso-
nalis & rei
uindicatio.
tenda dote, uel rei uindicatione (a): I.
G. habet ius retentionis in bonis mari- ius retenti-
onis.
ti, donec ipsi ratione dotis & dotalitii
plene satisfactum (b).

(a) I. R. fundus dotalis ad heredes mariti transibat
L. 1. §. 1. D. de fund. dot. ubi ita: Sed & per uniuersitatem tran- Dos ad mariti
heredes perte-
nit.
*sit praedium, secundum quod possibile est, ad alterum, ueluti
ad heredem mariti. Sicque non ipso iure dominium do-*
tis reuertebatur ad uxorem, sed actione tantum perso- repetitur assi-
one personali
ab uxore
*nali utebatur pro repetenda dote contra heredes mari-
ti STRUVIUS Exercit. XXX. thes. 47. Imperator deinde Iu-*
stinianus concessit uxori uindicationem L. 30. C. de iur. dot.
In rebus dotalibus, siue mobilibus, siue immobilibus seu se mo-
uentibus, si tamen extant, siue aestimatae, siue inaeestimate sint,
mulierem in his uindicandis omnem habere post dissolutum ma-
trimonium praerogatiuam iubemus.

(b) Iure Germ. uxori quidem pro repetenda dote
non defunt actiones, pinguius tamen est ius retentionis Ius retentionis
uxori in dote
competens,
Iure Saxonic.
quo gaudet. IUS SAXON. ELECT. part. III. cap. 33. ita dispo-
nit: *dieweil die Wittwe mit dem Manne in gleicher gewehr ge-*
essen, nach seinem tode das ius retentionis hat. SPECVL. SA-
XON. Lib. I. art. 3. idem tradit: dieweil sie beyde leben, sollen
sie ihre Güther beyde gleich gebrauchen zu ihrer Nothdurfft,
und soll da kein gezweyet Guth seyn, wenn aber die Ehe durch
den

den tod geschieden wird, so ist es nicht mehr gemein Gut, sondern das lebend behaelt (i. e. retinet) das seine, oder was ihm das Recht oder die Ehe-vertraege geben. WEICHBILD art. 57. clarius adhuc ius retentionis exponit his uerbis: sie siset in dem Erbe vor ihr eingebracht Guth. Quod uero multo in tota fere Germania iure retentionis utatur tam in allodiis quam feudis, testantur MEVIVS ad Ius Lubec. n. 48. BRVNNEM. ad L. 25. D. solut. matrim. Vi huius iuris retentionis uxor tamdiu in bonis mariti manet, donec ipsi ratione dotis, dotalitii & ceterorum, quae ex pactis dotalibus uel statutis debentur, plene satisfactum. Capit etiam interim alimenta ex bonis mariti. WEICHBILD art. 24. haec habet: So nimmet sie immer davon, als viel sie essen und trincken mag, dieweil ihr ihr Ehegeld nicht geleistet wird, das ihr gelobet war, da sie ihren Mann nahm. Constit. Elect. Saxon. XXV. part. II. wie denn auch die Frau so lange das ius retentionis in den Lehn-Güthern und ihren Vnerhalt haben soll, biß sie des ihren vergnügt. ZOBEL ad Lib. I. LAND-R. art. 22. lit. d. COLERVS lib. I. de aliment. cap. XI. Praeterea uida etiam absens habet ius retentionis; & possessione ab heredibus mariti deiecta, debet tanquam spoliata restitui. CARPZOV. Lib. 4. resp. 19. n. 6. COLERVS de proc. Execut. p. I. c. 2. n. 220. Cuius rei, praesertim in feudis cum maximus sit & intolerabilis uiduarum abusus: nuper uidi ita decisum esse ab ORDINE ICTOR. Hall. würden die Lebensfolger auf 4000. Rthlr. caution machen, als so viel das eingebrachte der Wittwen austrüge, so hätte gestalten sachen nach, das angemasse ius retentionis nicht statt. Vnd wäre sodann selbige das qu. Lehn gut denen Lebensfolgern, einwendens obgehindert, abzutreten schuldig. Sed haec causa & frequens & litigiosa multoties irretita est circumstantiis, ut decisionem omnino requireret principalem. Num uiduae idem iuris sit in apanagii iure relicto fundo mariti? iterum controuertitur. Quod ICTOR. HALL. ORBO nuper negauit in graui & multis dubitationibus exposita causa. Cuius sententiae rationes ampliores sunt, quam ut eis hic dari possit locus.

* * *

—
n-
m
r7.
fi-
u-
m
n.
e-
ofi
o-
bit
rt.
f-
let
E-
las
en
rt.
i-
ab
ti-
p.
i-
ta
l-
h-
n-
u.
e-
o-
e-
a-
r.
l-
o-

05 H 694

ULB Halle 3
004 228 723






8
19
18
7
17
16
6
15
14
5
13
12
4
10
9
3
8
7
6
2
5
4
3
1
2
1
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

15

DISSERTATIONE INAUGVRALI
differentias iuris

Romani & Germanici

IN

DO T E

ET

DONATIONE
PROPTER NVPTIAS,

Heurath-Gut und Segen-
vermächtnis

PRAESIDE

DN. IO. PETRO A LVDEWIG, ICto,

S. R. MAIESTATI PRVSSICAE A CONSILIIIS INTIMIS ET REGIMINIS
IN DVCATV MAGDEBVRGICO, IVRIS AC HISTORIARVM PROFESS. ORDIN.
DOMINO IN GATTERSTAETT, RELIQVA,
INCLVTI IVRECONSVLTORVM ORDINIS h. t. DECANO

PRO LAVREA DOCTORIS IN VTROQVE
IVRE CAPESSENDA

D. XXII. OCTOBR. AN. MDCCC XXI.

IN FRIDERICIANA
PVBLICE PROPONIT

IOANNES FRIDERICVS SEYFART,
HALENSIS MAGDEBVRGICVS.

HALAE VENEDORVM,
LITTERIS IOAN. FRID. KROTTENDORFFII, ACAD. TYPOGR.

P